UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani Ivrivm Doct. Ac Comitis,Ivrisqve Pontificii Ordinarii Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum Patroni

**Rebuffi, Pierre**

**Coloniae, 1610**

De constitutionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63686

Visual Library

bet. *cap. 1. de conſtit. vbi plenè omnes doct. tradunt,* & Chriſti fideles vti canonibus à Papa editis, ac ſacris generalibus conciliis, quod facit contra iudices iudicantes ſecundum conſuetudinem omiſſis canonibus & legibus per rationem in aëre fundatam, vel in eorum capite momentaneo quieſcentem *de quo nonnihil in ordin. reg. annotaui.*

*Cõcordata pro publica regni vtilitate edita.*

c *Publica vtilitate.* ) Hæc concordata facta ſunt pro communi, & publica regni vtilitate, & ad publicum ipſius commodum referri ac intelligi debent, quod infra ſæpius induco ad multas quæſtiones, & ſupra *eodem in verbo. perſonæ* dixi: ideo hic liber regno & regnicolis magno vſui futurus eſſe debet, extra tamen amiſſionem electionum, [& ſententia vtilitati rerum cõſentanea approbatur à iuriſconſ. *in l. ſi remunerandi. §. fin. ff. mand. & in l. ſecunda, in fin. de ſtatu liber.*]

*Papa ardua ſine cõſilio Cardinalium an explicare poſſit.*

f *De eorum conſilio.* ) Et ſic Papa non debet ardua explicare ſine conſilio fratrum, id eſt, cardinalium. *cap. per venerabilem. §. rationibus, qui filii ſint legitimi. ibi,* ſunt autem ſacerdotes Leuitici generis noſtri, qui nobis iure Leuitico in executione ſacerdotalis officii coadiutores exiſtunt, &c. *plenè Barb. in tract. de præſtan. Card. in 2. q. primæ partis. Fel. Dec. & alii in rub. de conſtit.* & hoc procedit de honeſtate: *vt dicit gloſ. in c. ad apoſtolicæ, de re iud. in 6. & l. humanum. C. de legib. c. fundamenta. §. decet. de elect. in 6.* Ego dicerem quod de neceſſitate tenetur requirere conſilium, vt bene omnia proſperè gubernentur, *per d. l. humanum,* non tamen tenetur ſequi ſi in melius ſua ſententia declinet, quod probatur *in Euangelio.* Vnde ememus panes vt manducent hi? &c. vbi Chriſtus petebat conſilium ab apoſtolis. Et etiam hodie inoleuit ſtylus Ro. curiæ, vt videlicet requirendum ſit conſilium Cardinalium in arduis. Ioan. Monach. *in c. ſuper eo. de hær. in 6.* his verbis præfatur. Scio quod cœtus Cardinalium erat in hac poſſeſſione, quòd ardua negotia erant de eorum conſilo tractanda & terminanda, imò ſi Papa irrationabiliter moueretur, & notoriè appareret, poſſent cardinales ſuæ voluntati reſiſtere, vtpote ſi vellet alienare reliquias ſanctorum ſine neceſſitate, vel ſi ſcandalum immineret toti eccleſiæ. *Card. in c. in iſtis. 4. diſt. Paul. conſil. 414. in facto col. 4. in 1. vol. Boſch. de codecha. in rub. de conſt col. 21.* debet ergò creare cardinales omni exceptione maiores, & eccleſiæ vtiles non ignaros aut pueros, reliqua hic plena manu ſcribit. Io. Dayma, ego vero his contentus ſeq. tit. aggrediar.

*Cardinales qui creandi.*

## *De conſtitutionibus.*

*Quomodo capiatur, & vnde dicatur conſtitutio, & an ab ea appellari poſſit.*

CONſtitutio hic propriè accipitur pro conſtitutione Papæ & regis, alibi pro conſtitutione Regis tantum, vel Imperatoris. *c. conſtitutio. 2. diſt. l. 1. ff. de conſtit. princ. §. ſed & quod principi placuit inſtitut. de iur. natur. gent. & ciuili.* In genere tamen capitur pro conſtitutione, tam à ſuperioribus, quàm ab inferioribus facta. *cap. cum omnes de conſtit.* Et pro lege, interdum ſumitur *in l. ſequitur. §. ſequitur. & §. ſeq. ff. de verb. obl. & Dec. in rub. eiuſdem tit.* Et dicitur conſtitutio quaſi communis ſtatuitio, ſeu commune ſtatutum quod ſit lex cõmunis Gallis hominibus, vel ſimul ſtatuitio, nam quo ad regis ſubditos ſimul ſtatuitur propter plures ſimul ligandos. *Pan. & alii in rub. de conſtit.* Nota quod à conſtitutione vel lege generali non poteſt appellari, quando eſt edita ab eo a quo non poteſt appellari. *text. & ibi doct. in ca. quia nos. de app. l. ſi res. & ibi Bart. col. 2. ff. de app. recip. l. ſi qua pœna. de verb. ſign. Dec. in cap. conſuluit. 3. gl. vlt. de app.* Et ideo ſolent practici in hoc regno appellare ab executione literarum regiarum non à conceſſione, *non de l' octroy, mais de l' execution*: & ita de literis emanatis à ſede apoſtolica vidi ſeruari in practica, & fuit latum arreſtum, anno 1526. die 29. Iunii, *facit lex 1. §. 1. ff. de app. & l. iubemus. C. eo.* Si tamen vnus de populo qui læditur contradicat, ſtatutum iniquũ nõ nocebit eidẽ, *Bar. in d. l. ſi res. Aret. in rub. de conſt. in fi. plenè Barb. in c. cũ omnes. col. 4. & ſeq. ibidem,* quod eſt notandum pro conſuetudinibus approbatis, exceptis certis articu-

*Arreſtum.*

*Ab executione literarum appellatur non à conceſſione.*

lis, in quibus ſunt oppoſitiones, quod intelligerem in conſuetudinib. vel ſtatutis, ſecus in legib. ab ipſo principe editis, quia vnus non poterit contradicere, *vt not. in d. c. 1. de conſt. & in c. 1. §. fin. in fin. de elec. in Prag.* [Licet lege alia Fuſia cautum eſſet, vt quoties lex aliqua à quocunque magiſtratu ferretur iura interceſſionum, auſpiciorumque ſeruarentur, & vt cuicunque obnunciare liceret legem rogauit, *teſte Halicarnaſ.* Obnunciationem vocabant antiqui, cùm malum aliquod læuumque omē nuntiabatur, vt cùm tonuiſſet, aut fulmē viſum eſſet.] Nec eſt omittendum quòd à legibus, & à legum latoribus ſemper præſumitur dolus abeſſe. *Bald. in c. conſultationibus. col. vlt. de offi. deleg.* Idem dicerem in interpretibus & commentatoribus, cum ad hoc tendant vt mentem legum eliciant, [vel conſuetudinem, ſeu alterius diſpoſitionis, & de his legum commentatoribus loquitur imperator *in §. fin. de noxal. actio. in inſtitut.*] Dolo tamen fit aliquando tam in contractibus, quàm in teſtamentis, quamq; in legibus, qui facto intelligitur *l. 1. in fin. ff. de doli except.*

LEo Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Primitiua illa eccleſia *a* in angulari petra à ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto fundata, Apoſtolorum præconiis elata, martyrumque *b* ſanguine conſecrata & aucta, vbi primum iuuante domino per orbem terrarum lacertos mouere cepit: prouidè attendens quantum oneris *c* humeris impoſitum haberet, quot

Triplex eſt eccleſia. a *Leo, &c Eccleſia)* Quæ triplex eſt, quædam malignantium, in qua conueniunt maligni, & ſignificat quaſcunq; congregationes & conſpirationes ipſorum. Dauid. *Pſal. 25.* Odiui eccleſiam malignátium, & cum impiis non ſedebo. Altera eſt militantium, & illa eſt in qua conueniunt iuſti militantes, & eſt propriè eccleſia militans, quæ eſt congregatio iuſtorum fidelium, de qua inducit celebrem mentionem tex *in c. eccleſia 1. catholicorum collectio. de conſe. diſt. 1. Eccleſiaſt. 3. c.* Filii ſapientiæ eccleſia iuſtorum, & iſte text. Alia eſt eccleſia triumphantium, & iſta eſt ſtatus gloriæ ſempiternæ, de qua dicitur: Cantate domino canticum nouum, laus eius in eccleſia ſanctorum, *plenè in ſumma 15. diſt. per Præpo.* aliis etiam modis ſumitur per gl. *traditis in c. fi. ne præla. vices ſuas, & gl. in c. ſcire. 7. q. 1. & in c. cum clerici. de verb. ſig.*

b *Martyrum)* Hic multa de martyribus proſequitur Ioan. Dayma, & de indulgentiis, de quibus ſi quis velit multò plura videre, recurrat ad vnum tractatum de indulgentiis, vbi plenis oculis videre multa quis poterit, & in gl. *extrauã. vna. de pœnit. & remiſ. in communibus, & ad Felyn. in ſermo. de indulgentia plenaria.* vbi quod ſemel animo exciderit, ſi legitur, quaſi poſtliminio in mentem reuocabis.

c *Oneris)* Quod eſt impoſitum etiam cuilibet magiſtratui & habenti dignitaté. *c. mandata, de præſump.* Primò dicitur Papæ & aliis rectoribus animarum, animam pro anima dabis, hi enim tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. *c. præcipuè. 11. q. 3.* habet enim Papa & quilibet prælatus onus & curam medendi. *c. omnis vtriuſque ſexus, de pœn. & remiſ. c. ſacerdos. 3. q. 7.* ideo eſt eis neceſſaria ſcientia. *c. ſit rector. 43. diſt. & quæ dico infra tit. 2. in verbo eminentis*, & vita innoxia, alioqui dicitur prælato, medice cura teipſum. *Luc. 4. & Matt. 7.* Eiice trabem de oculo tuo, &c. *De hoc dixi in §. 1. in verb. prædicationis, de col. infra.* Secundò debet habere curam paſcendi, *de quo dicam in gloſ. ſeq. paſcere.* Tertiò curam imbuendi ſubditos bonis moribus & virtutib. *d. c. ſit rector. c. ſapiens. & ſeq. de pœn. diſt. 2.* ecce quantum oneris humeris prælatorum, maximè ſummo pontifici impoſitum ſit, quod ſi rectè (vt decet) gerant, eos de meliore nota commendare debemus, dicentes quod D. ſcribit Berna. O vtinam prælati tam vigi-

Triplex onus papæ & prælati eſt impoſitum.

les

les reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram.

Oues paſcere, *a* quot cuſtodire, ad quot etiam remotiſſima loca oculos intendere cogeretur, *b* diuino quodam conſilio parochias *c* inſtituit, diœceſes diſtinxit, epiſcopos creauit,

*Tripliciter prælatus habet paſcere ſubditos.*

a *Paſcere)* Habet ergo Papa paſcere oues Chriſti. Fuit enim Petro & ſucceſſoribus eius dictum. *Io. vlt.* Paſce oues meas, *&c. ſignificaſti, de ele.* & dicitur prælatis. 1. *Petr. vlt. cap.* paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei. Primò debet etiam quilibet prælatus oues paſcere exemplo bonæ conuerſationis, plus enim mouent (*dicit Greg.*) exempla, quàm verba, & Chriſtus primò cœpit facere, poſtea docere. *Acta. dixi in gloſſ. prædicationis. §. 1. infra. de colla.* Secundò debet eos paſcere verbo prædicationis, quia inter cætera quæ ad ſalutem populi Chriſtiani ſpectant pabulum verbi Dei maximè ſibi noſcitur eſſe neceſſarium. *c. inter cætera. de offic. ord. c. ſi rector. 43. diſt.* nam. 3. *Reg. 20. c.* ſcribitur: Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius: & paſtor qui non increpat delinquentes, eos proculdubio tacendo occidit. *Greg. in c. Epheſis. 43. diſt. Hiere. 3. c.* Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina: & ſic patet ibi, quòd prælatus debet à Deo dari, *vt dici. rex. dabo,* Deus non dat aliquem per pecuniam, & ſordes: & ideo illi qui ſic dati ſunt, non ſunt à Deo, & debet eſſe vtilis ſubditis, *quod probatur in tex.* vobis, qui eſt caſus datiui, importans vtilitatem. *l. furioſo. ff. de re iud.* debetq́; dari is qui eſt iuxta cor domini, non mundi, & ſic non vitiis irretitus, & is datus, debet paſcere ſubditos ſcientia prædicationis, doctrinæ, & vitæ, ecce qualis debet eſſe prælatus, *alia dicam, infra tit. 2.* [& *Exod. 23.* ſcribitur. Ego mittam angelum meum qui cuſtodiat te in via, & præcedat te, debet ergo cuſtodire populum ſibi commiſſum epiſcopus, & præcedere eum in bonis moribus.]

*Paſtores pro ſubditis orare debent.*

Tertiò prælatus paſcere oues fructu orationis debet, & ſic orare pro ſubditis. 1. *Reg. 12.* Abſit à me hoc, vt ceſſem orare pro vobis, Moyſes & Aaron pro populo orare non deſinebant, hodie in malos paſtores dicebat quidam hos verſus.

*Poſcendo à gregem, non à paſcendo merentur,*
*Paſtores ouium nomen habere ſuum.*

Concludendum eſt igitur quod prælati debent paſcere gregem, non ſeipſos, vel canes, ſeu meretrices, alioqui dicet illis dominus Deus, *Ezechiel. 24. cap.* Væh paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? *Exponi Florent. in 3. parte ſummæ. tit. 19. c. 11.*

b *Cogeretur)* Inſtigante officio. *l. monente. C. de delator. lib. 10.* vbi patruus meus Rebuffus not. officium munere officialem, vt adimpleat ea quæ ad ſuum officium pertinent: & ſi quis laudabiliter exerceat officium ſuum, ad illud diuinitus, vocatus cenſetur. *c. cum deputati. de iud.* Vnde ſi quiſpiam propter neceſſitatem officii accuſauerit aliquem, excuſatur à pœna præſumptæ calumnię ratione officii, non à calumnia probata. *l. 2. C. qui accuſ. non poſſ. Barto in l. 2. §. ſi publico. col. 3. verſ. 1 eſt. ff. de adult.* ideo ſi iudex formauerit inquiſitionem præcedente fama excuſatur à præſumpta calumnia, nec tenetur ad expenſas, quia proceſſit ex neceſſitate officii. Ioan. Fab. huius rei memoriam refricauit. *in l. ſeueriter. C. de excu tut. Bal. in l. iubemus, in prin. C. de prob. & in l. obſeruare, §. proficiſci. q. 6. ff. de offi. proconſ. facit. l. qui cum maior. §. ſi patris. ff. de bonis lib. Auffrer. in deciſ. Tholoſa. q. 6. item, &c. ſi procurator. & Barba. conſ. 47. ſcribitur. col. 2. & ſeq. in 1. vol. multa in hanc partem verba fecit. tu illum (ſi non graueris) videto.*

*Officium à præſumpta calumnia excuſat officialem.*

c *Parochias inſtituit)* Et ſic per hunc text. *ibi, diuino quodam conſilio, &c.* patet quod beneficia ſunt de iure diuino inſtituta, contrarium tamen firmat Pan. *in ca.*

*Beneficia an ſint de iure diuino.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*conſtitutus nu.13.cum.ſequ.de reli.dom.* vbi dicit titulos beneficiorum eſſe de iure poſitiuo: & ideo Papa poteſt diſponere de eis, prout vult, idē ſentit in diſputatio. *incipiēte epiſcopus. col.2.per tex. in c.1.22. diſt.* vbi Papa inſtituit patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, & alios in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos. *c. in illis.80. diſt.* plenè *Io. de Selua. in tract. de beneficio. in 1. parte.q.4.* nec obſtat hic tex. quia non dicit nutu diuino, ſed diuino quodam cōſilio, vt in ſimili dicitur *in l. fi. C. de quadr. præſc. & c. quam pio.1.qu.2.* & ſic Deo conſulente. *Iac.1.* vnde dicit hic tex. quod primitiua eccleſia inſtituit diuino quodam conſilio parrochias, diœceſes diſtinxit, epiſcopos creauit, &c. Ex quo infertur, quod omnia beneficia, demptis papatu & epiſcopatu, ſunt de iure poſitiuo, *per tex. in c.1.13.q.1. c. paſtoralis. de his quæ fiut à præl.* vbi Dionyſius Papa inſtituit parrochias, & eas diuiſit *Pan. in repet. c. extirpādæ. § qui verò. col.2. de præb. c. cum olim. de conſuet.* de cardinalatu quo iure ſit introductus tradit plenè Barb. *in tract. de præſt. Card. in 1. partis.* nec refragatur iſte tex. dū dicit quod primitiua eccleſia creauit epiſcopos. Reſ. verum eſſe, ſed non epiſcopatus, ſic Papa modernus epiſcopos creat, ſed nō epiſcopatus, qui ſunt de iure diuino, *vt dixi ſupra,* & cardinales creant Papam, ſed nō papatum. *c. vbi periculū, de el. in 6.* & prædicta eliſa eſt opinio contraria. [ vide Hiero. gigantem *in tract. penſio. q.2.* vbi etiam penſionem iure poſitiuo introductam firmat.]

& metropolitanos *a* præfecit, vt tanquam membra capiti *b* obſequentia cuncta ſecūdum eius volūtatem ſalubriter in domino gubernaret, & tanquam riuuli *c* à perenni fonte Romana, videlicet eccleſia deriuantes, ne angulum quidem dominici agri irrigatū dimitteret: vnde ſicut alii Romani pōtifices prædeceſſores noſtri ſuo tempore omni ſtudio curarunt, vt dicta eccleſia vniretur, & in ſancta vnione huiuſmodi ſine ruga & macula conſeruaretur, & omnes vepres *d* ab eadem eccleſia abolerentur, cuius proprium eſt (diuina opitulāte gratia) virtutes colere, & vitia radicitus extirpare, ita & nos tempore noſtro & præſenti durante conſilio ea facere & curare debemus, quæ vnioni & cōſeruationi eiuſdem eccleſiæ conducere videntur. Ea propter omnes vepres quę vnioni huiuſmodi obſiſtunt, & ſegetem Domini pullulare non ſinunt, tollere prorſus & extirpare, ac virtutes in vinea Domini inſerere ſatagimus. Sanè inter arcana mentis noſtræ reuoluētes quod tractatus *e* inter piæ memoriæ Pium II. Sixtum IIII. Innocentium VIII. Alexandrum VI. & Iuniū II. Roma pontifices prædeceſſores noſtros, & claræ memoriæ Reges Frāciæ Chriſtianiſſimos ſuper abrogatione certæ conſtitutionis

a *Metropolitanos)* Hic Ioan. Dayma inſtat, dicens metropolitanos ab archiepiſcopis differre, *per text. in c. cleros. 21. diſt.* qui hoc mihi ex ſententia non probat, quia licet ſint diuerſa nomina, ſunt tamen ſynonyma *probatur in ſumma. 9. q.3.* niſi archiepiſcopus ſumatur pro primate, quia tunc differt, à metropolitano, *teſte Cald. Alex. in d. ca. cleros:* ſed quòd metropolitanus & archiepiſcopus ſint idem, firmat text. *in c. referente, ibi ad metropolitanum. vide licet Remēſem archiep. appellauit. de præb. c. hæc quippe. ibi ad Turō. archiep.* ipſe enim eſt metropolitanus, & *c.3.q.6.* quid adhuc egemus teſtib.? cū prædicti tex. planè probēt. Item tex. *in cap. licet in corrigendis, offitio. ord.* vocat archie-

*Metropolitanus & archiepiſcopus non differunt.*

archiepiſcop. Senonen. metropolitanum *in cap. fin. de his quæ fiunt à prælat.* vocat archiepiſcopum, ergo ſunt idem, hoc etiam probat text. *in cap. cum ex officii. de præſcrip. c. vt litigantes, ibi, archiepiſcopus iure metropolitano. de offic. ord. in 6.* idem dicitur in *cap. pen. de arbit. cap. 1. de offic. leg. cap. ſuffraganeis, & ibi Panorm. in 2. not. de elect.* Item metropolitani poſſunt frui, aut primatum, aut primatuum, aut archiepiſcoporum nomine. *c. 1. in fin. 99. diſt. & c. ſeq.* hoc etiam admiſit communis vſus loquendi, ita quod nudis tantum verbis differunt archiepiſcopus & metropolitanus. *tex. in extraua. vna. in verbo archiepiſcopi. de cenſi. in extrauagat. communibus,* [ hodie ſolent archiepiſcopi eſſe primates & eo iure vti. ]

*Subditi debet obſequi principi.*

b *Capiti.* ) Et ſic membra myſtica debent diligere & obſequi capiti, & ab eo non diſcedere. *c. cum non liceat à capite membra diſcedere. de præſcr. ca. 1. & ibi Card. 11. diſt.* quòd maximè in duobus eſſe debent, in vnitate affectus, & vnitate effectus. vnitas affectus eſt, vt idem velint membra, id eſt, ſubditi, quod caput, id eſt, Papa vel princeps. Paulus *ad Epheſ. 4. c.* Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus. ſ. eiuſdem voluntatis, prout exponit gl. *ibi.* Vnitas effectus eſt, vt membra vnanimiter impleant voluntatem ſui capitis & principis, & qui implet voluntatem illius in eo manet. *Ioan. 15. c.* Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, & qui nõ remanet in illius vnione mittetur foras, & areſcet, & in ignẽ mittetur, & ardebit. *d. c. 15. Ioan.* & ideo ſubditi ex debito fidelitatis tenentur ſeruare præcepta & ordinationes capitis ſui *Io. 14. c.* Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit, & qui non diligit me ſermones meos non ſeruat: *& hoc expreſſim tenuit Ioan. de terra rubea in tract. contra rebelles regum art. 3. tertii tract. vbi plenè prob. & Præb. in c. quamuis 21. diſt. ſcripſi in bulla cœnæ domini in gl. vnitatẽ* niſi illa præcepta ſint contra Deum *cap. ſi dominus, & ſeq. 11. q. 3.*

*Romana eccleſia mater, caput*

c *Riuuli.* ) Sicut omnes riuuli à fonte, ita omnes eccleſiæ à Romana deriuantur. *c. fi. 11. diſt. c. loquitur. 24. q. 1.* Ipſa enim eccleſia Romana eſt caput omnium eccleſiarum ratione principii inſtitutionis & prælationis. *cap. quamuis. 21. diſtinct. cap. 1. 22. diſtinct. Præp. per illum text. in ſum. 15. diſt. & in c. 1. 22. diſt.* & dicitur domina *in c. oportebat. 79. diſt.* & mater. *c qui abſtulerit. 22. q. 2. c. fin. de foro compet.* vbi etiam magiſtra dicitur, quod præcipuam curam aliarum habeat *l. quibus, vbi ſcripſi. ff. de verb. ſign.* & à Papa omnes dignitates procedunt. *c. 1. in 22. diſt. Decius, conſil. 573. in caſu. col. 1.*

*& domina aliarum eſt eccleſiarum.*

d *Vepres.* ) hoc dicendi ſchemate vtitur tex. *in cl. dudum. §. 1. de ſepult. & text. in rub. de authoritate generalium concilio. in Prag.*

*Tractatus non attenditur, ſed concluſio.*

e *Tractatus.* ) Multa tractantur inter partes quæ non veniunt ad concluſionem nec effectum. *l. ſi ex cauſa. §. nunc videndum. in fin. ff. de mino. c. dudum. de reb. eccleſiæ non alien.* & multa dicuntur, quæ non fiunt. *l. ſciendum. §. 1. ff. de edilit. edict. Bal. in l. multum, per illum text. C. ſi quis alteri vel ſibi. Dec. conſ. 11. quoniam. col. 1.* vnde ea ratione teſtes deponentes de tractatu contractus, non probat, nec ſufficit probare tractatus & præambula actus. *Iaſ. in conſ. 22. in q. in fin. & conſ. 24 in cauſa col. 7. in 3. vol.* Nec aliquod ius ex tractatu quæritur partibus, donec res fuerit firmata. *c. ιια. de his quæ fiunt à præl. ſic conſu uit Alex. conſ. 28. viſis. col. 1. in 1. col.* ideo tantum attenditur concluſio contractus. *text. in l. ſi voluntate C. de reſcin. ven.* & ſic dies concluſionis in inſtrumento debent deſcribi, quia ſola concluſio dicitur contractus & actus. *Bal. in l. cõtractus, per illum text. C. de fid. inſtr. Barb. in repet. rub. in fide inſtr. col. 61. in paruo. vol.* Item in libello attenditur concl. *Bal. in l. præſcr. in fin. C. ſi contra ius, & in l. domum, col. 1. de rei vend.* Item in reſcripto *dicit Ioan. & alii in c. ſuper literis. de reſcrip.*

in dicto regno Franciæ vigentis, quæ pragmatica vocatur, habiti fuerunt. Et licet Sixtus IIII. præfatus nunciis ad claræ memoriæ Ludo. X. Franciæ regem Chriſtianiſſimum deſtinatis tantis eidem perſuaſerit rationibus, vt rex ipſe

pragmaticam ſanctionem huiuſmodi tanquam in ſeditione & ſchiſmatis *a* tempore natam ſuis patentibus literis abrogauerit, *b* tamen huiuſmodi abrogatio, nec etiam literæ Apoſtolicæ præfati Sixti ſuper concordata, cum oratoribus præfati regis Ludouici ad præfatum Sixtum prædeceſſorem deſtinatis habita, expeditæ per prælatos & perſonas eccleſiaſticas dicti regni receptæ *c* non fuerunt, nec ipſi prælati & perſonæ eccleſiaſticæ illis parere, nec monitis Innocentii & Iulii prædictorum aures præbere, ſed eidem Pragmaticæ conſtitutioni inhærere voluerunt, vnde præfatus Iulius prædeceſſor in præſenti concilio Lateranenſi vniuerſalem eccleſiam repræſentante per eum legitimè indicto abrogationis Pragmaticæ ſanctionis huiuſmodi negocium, & illius diſcuſſionem venerabilium fratrum ſuorum Cardinalium (de quorum numero tunc eramus) & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque diſcuſſorum ſibi & eidem concilio faciendam commiſit: Gallicoſque *d* prælatos, capitula,

*Schiſmatici tribus modis dicuntur.* a *Schiſmatis.*) Quod ſciſſuram ſonat. *cap. ſchiſma. 24. quæſt. 1.* Et ſchiſmatici ſunt hi qui ab vnitate Roma. eccleſiæ ſe ſegregant, conſtituendo ſibi eccleſiam, & ordinando ſibi clericos & ſacerdotes. *cap. inter. 24. quæſt. 3. Panorm. & alii in rubr. de ſchiſmat*, vbi ſic propriè capitur. Largiſſimè ſchiſmatici dicuntur omnes in mortali peccato conſtituti. *cap. audien. 11. quæſt. 3.* Large verò excommunicati ſchiſmatici vocantur, quia ſunt extra eccleſiam & communionem fidelium. *cap. cum excommunicato. & ſeq. 11. quæſt. 3. abundè ſcribit de ſchiſmate Contra. in ſua tract. de ſchiſmate ad regem Carolum, per totum. vide multa de hac Pragm. in defenſo concordan. in 5. ratione maximè*, ego cum iam ſit abrogata eis aliis rationibus non impugno.

b *Abrogauerit.*) Et ſic tempore Sixti Pragmatica fuit antiquata, & quædam concordata facta, ſed non fuere in regno recepta, *vt dicitur hic, & in præfat. ad rub. de collec. infra ſcripſi.*

c *Receptæ.*) Ergo non ligauerunt, cum leges ex alia ratione nos non teneant, quàm quod iudicio populi ſunt receptæ. *l. de quibus. ff. de legibus. vide gloſſ. in §. præfatiq; ordinarii, in verbo poſt præſentium. acceptationem. infra de colla.*

d *Gallicos prælatos.*) Quando apparet contradictor, is primo per hunc tex. citandus eſt, poſtea generaliter omnis cuius intereſt. *cap. fin. de electio. in 6.* cuius verba ſic habent vocationem autem huiuſmodi nominatim vbi eſt coelectus, vel apparet oppoſitor, aliàs generaliter in eccleſia, in qua electio facta eſt, &c.

Item hæres conficiens inuentarium debet citare legatarios & creditores nominatim, ſi certi ſint, alioqui generaliter. *Bart. Bald. & Iaſon. in l. fin. §. 1. col. 3. C. de iure de liber. Panormit. conſil. 73. in quæſt. collat. 3. in 2. volum. & Anthon. capyti. in deciſ. Neap. quæſt. 101.* quamuis Bart. contrarium teneat *in l. ſi eo tempore. C. de remiſſ. pign.* Et quando non defenditur pupillus citandus eſt tutor nominatim, ſi ſit, vel affines, & conſanguinei primò nominatim: & poſtea omnes quorum intereſt. *l. hæc autem. §. 1. ff. quibus ex cauſis in poſſ. eat.* & hæres inſtitutus citandus eſt, ſi ſit certus, aliàs debent citari generaliter illi, quos proxima ſucceſſionis cauſa tangit. *l. 1. §.*

denun-

denunciari. ff. de ven. inſpic. l. ſi curatoris. C. de iure delib. Bar. in l. ſi quis inſtituatur. §. item ſi conditioni. ff. de hær. inſtit. Barb. conſ. 18. clementiſſimi, & cap. mihi videtur. col. 3. in 1. vol. & conſ. 28 ſcripſit. col. 9. ibid. Hippol. ſing. 259. generalis citatio. Idem in vaſſallis conſuluit Card. conſ. 74. dominus alioqui citatio generalis non valeret. Doct. in auth. ſi omnes. C. ſi mino. ab hæred. ſe abſtin. Imol. in cap. in noſtra. col. penult. de procur. Alb. Brunus. concil. 87. circa. in fin. in materia feudali. Hipp. in repet. l. de vno num. 179. ff. de re iud. & in rubri. de prob. fol. 44. col. 2. Proinde adiudicationem factam in ſolutum, non citato poſſeſſore certo nominatim quando erat, non valere, licet generaliter citatus ſit aduerſarius. conſuluit Alex. conſ. 5. in cauſa, in 2. vol. & conſ. 98. ſuper eo. col. vlt. in 7. vol. Soci. conſ. 13. inſignis. col. 3. in fin. cum ſeq. in 4. vol. Quando minor vult petere reſtitutionem in integrum aduerſus creditores præſentes, id eſt in ciuitate exiſtentes, debent hi nominatim citari, quando certi ſunt, ſi incerti, vel abſentes generaliter. Auth. ſi omnes: & ibi Bald. & Iac. C. ſi minor ſe ad hær. abſtin. Præterea ſi res vi aquarum ad fundum meum tracta, & portata ſit, debeo domino denunciare, vt tollat, ſi certus ſit. l. prætor. §. fin. ff. de damnat. infec. ſi dominus ſit incertus potero generaliter proponere, quod quicunque fuerit dominus, veniat, & tollat intra certum tempus in citatione præſtitutum, & tunc ſi non comparuerit, is cuius eſt res cenſetur habita pro derelicto. Feder. conſ. 107. domine Franciſce. & ſeque. vide Iac. in l. pars. ff. de iur. idem debet fieri de rebus inuentis & animalibus oberrantibus (quæ expaua vocamus) de quibus Ioan. Fab. in §. examen. inſtit. de rerum diuiſ. Lucas de penna in l. 1. C. de coarta. libr. 12. & plenè D. Chaſſag. in conſuet. Burgund. rub. 1. §. 1. Idem in executione bonorum tradunt Bart. & Iaſ. in l. decem. ff. de verb. obl. & Barb. conſ. 28. ſcripſit col. 8. & ſeq. in 1. vol. Idem in remedio. l. fin. C. de edicto diui Adriani tol. vbi abundè nota. Et in teſtamenti publicatione idem cenſet Bald. in l. publicati. col. 2. q. 6. C. de teſt. Et in proteſtatione non omiſit Bart. & alii in l. non ſolum. §. morte. ff. de nôui oper. nunc. Fel. & alii in c. cum M. col. 14. num. 28. de conſtit. & in vſurarum reſtitutione ſic faciendum eſſe conſuluit Anch. conſ. 306. efficax. Et quando eſt vnio reuocanda ſeruandam hanc practicã firmat Pet. de Peruſ. in trac. de reuoc. vnionis. c. 6. in fin. Et quando procurator eſt conſtitutus contra Titium, ſic reuocetur, intimatio eſt Titio facienda, ſi generaliter ſit cõſtitutus, generalis intimatio ſufficit. Fel. in c. ex parte decani. col. 11. in 4. regula. de reſcr. regulariter ſeruatur hæc practica. Quam amplia tam in criminalibus quàm in ciuilibus. Bar. in extrau. ad reprimendum in verbo per edictum, circa finem quomod. in læſæ maieſtat. crimi. proced. Secundò amplia etiam ſi reus non ſit principio certus, ſed eſt facili certificandus, adhuc nominatim & ſpecialiter debebit citari. Domin. in d. cap. fin. Alex. conſi. 5. in cauſa. col. 1. in 12. vol. Fel. in c. 2. col. 6. verſi. & poſſent iſta. de conſtit. Tertiò intellige etiam ſi ſtatutum vel conſuetudo ſeu ordinatio dictaret proximiores vel conſanguineos citandos, debet enim intelligi vt hic, & ſecundum ius commune, prout conſuluit Alex. conſi. 107. perſpect. 5. col. 1. in 5. vol. per l. 1. §. denunciari. ff. de ven. inſpic. quia per prouiſionem ſtatuti non cenſetur eſſe derogatum iuri, niſi hoc appareat. l. quoties. ff. de act. & oblig. Bartol in l. prætor vltima. ff. de vi bon. raptor. Bald. in l. eum. C. de furt. Panorm. & Dec. in cap. de cauſis. de offic. deleg. Quartò extende quòd hæc citatio nominatim poteſt fieri in perſonam, ſi perſona inueniri poſſit alioquin ad domum, in qua degit citandus. l. 4. §. prætor. ff. de damn infect. Alexa. vbi ſupra. & dict. conſ. 107. col. 2. in 5. vol. Quintò procedit etiam ſi per reſcriptum mandetur vocatis vocandis procedas, adhuc debet fieri citatio ſpecialis, ſi aduerſarius ſit certus. cap. exhibita. de iudic. Deciſ. conſil. 275. ideo fuit annullatus proceſſus in cauſa Ferrarienſi commiſſa vni iudici à Roma. pontific. contra Titium & alios ſua putantes intereſſe, eo quod ſpecialiter non erant citati, licet eſſent certi. Felin. in cap. cum inter. col. 7. verſic. nam licet Papa. de exception. Sextò amplia etiam ſi ſuperior mandet,

De rebus oberrantibus, & vi portatis, quid ſit faciendum.

mandet, quod citentur omnes, quorum intereſt, adhuc debebit citari nominatim certus aduerſarius, & alias generaliter. *Soc. in tract. de citat. artic. 5. q. 13. Innocen. pulchræ in c. dilecti. colla. 1. de except.* quod intellige quando mandaret tribuendo iuriſdictionem, ſecus ſi iudex ſeruienti committeret, vt citet omnes, quorum intereſt, tunc non poterit, ne mandatum excedat, in ſpecie citare. Nicol. *Milius, in verb. citatio. q. 66. de Rota dec. 419. ſi impetretur, in novis.* [ Ego tamen contrarium dicerem, quia id videtur ei commiſſum, prout de iure. *cap. in iure. de offic. delega.*]

*Generalis fit citatio in his caſibus.*

Primò limita, quando citandus eſſet incertus, nec de facili certificandus, tunc poteſt fieri citatio generalis, ſeu monitio. *cap. 1. qui matri. accu. poſſ. Anch. & alii in d. c. fin. de elect. lib. 6.* vbi dicunt colligit regulam, quòd quando aduerſarius non eſt certus. ſufficit generalis citatio. ratio eſt, quia tũc pars diuinare non cogitur. *l. ſi putator. ff. ad leg. aquil.* Barb. *conſil. vltim. 1. dubio. in 4. vol. col. 6.* vbi dicit conſtare de certitudine perſonæ per famam.

Secundò fallit in facto generali. *l. ſi eo tempore. C de remiſ. pig.* vt quando imminet venditio fundi, qui poteſt eſſe alii obligatur, ignoratur tamen an & cui, tunc ſatis eſt generalem facere citationem, quod qui ſua putauerit intereſſe tali die habeat cõparere. *Inn. in c. humilis, de maio. & obedien.* vel quando natura rei ſeu cauſæ reſpectu petitionis non dirigitur contra certam perſonam, vel propter ignorantiam citandorum, vel aliàs. *Inn. in c. cum in tua. qui matr. accuſ. poſſ. c. fin. de clandeſt. deſponſ. Inno. & alii in cap. ex tuæ. col. 4. de cleric. non. reſid. Bald. in l. fin. col. 10. q. 4. C. de edict. diui. Adria. toll. Ang. in l. vacantia. C. de bonis vacantia.*

*Epiſcopi ab ſtudiis ante procla. diſcedere non debent.*

*lib. 10.* & ſic ſcholaris volens recedere de loco ſtudii poteſt proclama facere, quòd quicunque voluerit aliquid ab eo petere, compareat intra certum tempus. *gloſſ. in l. vna. C. vt nemo inui. agere. Pan. & Præpoſit. in d. cap. fin. col. 1. qui mat. accuſ. poſſ.* Et hoc debent facere epiſcopi in ſtudiis exiſtentes, & abbates maximè, cum multos habeant famulos, qui creditoribus poſſent (ob ſubditum domini diſceſſum) fraudem facere, quod non debent permittere. Sed hodie bene multi ſcholaſtici recedunt de nocte, ſicut noctuæ, & creditore inſalutato, imò quòd peius eſt ſocio. ſolet etiam apponi comminatio, quod ſi intra terminum non ſe oppoſuerint, non audientur. *Soc. vbi ſupra art 22. q. 5.* An requiratur ſententia, quod nullus audietur de cætero? Inno. *in d. cap. fin. qui mat. accuſ. poſſ.* tenet quod ſic, vt deinceps non audiatur opponere, quam decretum ſit interpoſitum, *vt ſupra dixi,* & donec res eſt integra: *vt d. c. fi.* vel ſilentium impoſitum. Alioqui ſecus, niſi fuerit ignorans. *Fel. in c. 2. col. 6. de conſt.* vel niſi peteret ſe reſtitui in integrum. Et hoc literis (vt ſolet in Francia fieri) à cancellaria impetratis. *Imol. in c. in noſtra. col. vlt. de procur.* Et debent tres interuenire citationes, nec vna pro omnibus ſufficeret. *Ioan. Andr. in cap. ex tuæ de cleric. non reſiden. Bald. in d. l. fin. quæſt. 4. C. de edict. diui Adria. tollen gloſſ. in cler. 1. de vita & honeſtiſſ. cler. Sal. in d. l. fi. diſtinguit, vide eum.*

Tertiò reſtringe quando iudex ex officio procederet, tunc generalis citatio valeret *Inno. & Inn. in d. cap. humilis, de maior. & obed.*

Quartò modera quando non intereſſet alicuius principaliter: ſed generaliter. *Card. conſ. 74. Dominus Abbas. col. 2.* vt quando citantur Scabini decuriones, & alii ad conſilium ciuitatis, quia nõ intereſt principaliter vnius, ſed generaliter, ideo valebit citatio generalis. *l. 2. C. de decuri. lib. 10.* quod in Francia non ſubſtineretur. Idem in matrimonio. *Inn. in c. fin. qui matri. accu. poſſ.* vbi not. tunc habere locum citationem generalem, vbicunque admittuntur plures ad agendum & contradicendum, vt in matrimonio, reſtitutione, adoptione, & ſimilibus. *ca. lator. qui fil. ſint legiti. & dict. authent. omnes. C. ſi minor. ſe ab hered. abſti.* ratio eſt, quia neſcitur quæ perſona debeat citari, ſicut de electione actionum. *l. 1. §. quia autem. ff. quorum leg.*

Quintò limita quando eſſet multitudo perſonarum citanda. *Bart. in extrauag. adre. primen.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*primendum,in ver.citatum* *Iaſ. in l. decem. col. antepenult.nu.39.verſi.limitat tamen.ff.de verb. obligat.dicens eſſe menti tenendum, quia paucis notum,vide ibi.*

Sextò non procedit vt per Petrum de Bella pertica.*in q.434.*quando agebatur de iure reali competente declarari, quod reſultabat ex perſona ſolius petentis, allegat l. *intra.ff. de mino. & l. ad rem. de mun. & honori.*vide an probent.

Septimò limita in talleis,tributis & collectis,in quibus nullus ordo iuris requiritur,nec citatio: ſed valent præcepta generalia,& denunciationes, quod quicunque debet ſoluere talleas, vel collectas, ſoluat. *gl.ordi.in l.incola in 2 ff. ad munici. Bald. conſi. 434.licet. in 4.vol.vide alias in gl.ſequen.*

*Arreſtum.*

Et debent iſtæ citationes literæ conſtare,nempe ann. 1533.die 24. Martij, fuerunt commiſsiones à iudicibus,verbo conceſſæ ſeruientibus reprobatæ. Et fuit dictum equum alicuius malè arreſtatum per ſeruientem, qui verbo à iudice hoc impetrauerat, quod eſt notandum contra iniquos iudices, qui literis vix aliquid concedere volunt: ne iniquitas eorum deprehendatur, ſed vt iniuſtè ſemper abſq; pœna procedere poſsint.

*Commiſſiones literis conſtare debent.*

Eccleſiarum & monaſteriorum conuentus ac parlamēta, & laicos illis fauentes cuiuscunq; dignitatis, etiamſi regalis exiſterent ſanctione prædicta: vtentes, ſeu illam approbantes omnesque & ſingulos alios ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes. *a*

*Citatio cõtra intereſſe prætendentes, an & quãdo valeat.*

a *Intereſſe putantes.*) Et ſic de iure valere citatio, compareant prætendentes intereſſe, vel compareas ſi tua putaueris intereſſe.*glo.ſing.in l.ea quidem.in ſi C.ſi manci.ita fue.alie.vt manu.ſecundum Panor. in c.1. col.2.de cauſa poſſ Alex.in l.de pupillo.§. meminiſſe.in ſi.ff. de noui ope. nunc.* Iaſ.*in l. nec quicquam.§.vbi decretum.col.3.de offic.proconſ.* vbi in hanc partem multa verba facit.Item valet citatio, ſi velis interſis, productioni teſtium,vel alteri actui. *c.ſignificauit.de teſtib.*

Illud autem certo certius eſt,quòd præciſe & ſimpliciter nemo in ciuilibus citatur,ſed ſub modo prȩſcripto,ſcilicet ſi vult cõpareat, alias procederetur vt iuris fuerit & rationis.*arg.c. quia propter.de elect. ca.1. illo tit.lib.6.Spec.eo.tit. §.ſequitur. verſic. illud.* Nec impugnatur hæc citatio, licet vſus eã non receperit, compareas, ſi de iure tuo confidis, vel de defenſionibus tuis. *l. diffamari.C.de ingen. & manumiſ.* Valet etiam citatio,compareas ſi in pœnam incidiſti. *per gl.in d. l. ea quidem, ſecundùm Bal. in marg. in verbo, citatio.q.59.* Stylus tamen Franciæ eã non admiſit,vel ſi ſenſeris te grauatũ compareas.*c.ex parte.2.de verb ſign.Panor. in d. c.1,* vel ſoluas ſub pœna excommunicationis, aut alia, niſi cauſam allegare in contrariũ velis,ad quam,&c *gloſ.in l.de pupillo.§.meminiſſe.de noui oper.nunc.Iac.in l. ad peremptorium. col.vlt.ff. de iudic.* & hæc exercetur in curiis eccleſiaſticis maximè.

Quæro quando poſsit fieri hæc citatio? Reſpon. quando dubitatur cuius interſit, quia ſi eſſet certum, nominatim deberet geri:*vt ſupra in gl.proxima dixi*, nam citatio nunquam facienda eſt aliquo, cuius non interſit.*l.ille à quo.in prin.ff.ad Trebel.gl. in l. ſit. 3.§.ſi in cauſa.de bo.poſſeſ.*quia eo fit,vt citatus compareat,& de iure ſuo doceat.*cap.fin. de elect.li.6.* ſi non intereſſet, non admitteretur.*l.Titia.ff.ſolu.matri.Bal. vbi ſupra in verbo citatio.q.12.*Et cum ſit incertum, fit generaliter vt hic.*Anchar.conſi.206.viſis actis.*

*Hæc citatio quando poſſit fieri, & quid proſit.*

Secundò quæro quid operetur hæc citatio? Reſp. Primò ſi nõ cõpareatis qui intereſſe prȩtendit,procedetur in cauſa non obſtante contumacia. *Soci. vbi ſupra. q.14.* non tamen reputatur contumax ad hoc, vt poſsit mulctari,nec ad hoc vt poſsit excommunicari.*Bald.in c.vno.col.4. verſ.& nota quod non poteſt n.36.de mili. vaſſa. qui contu.* eſt Ratio eſt,quia deficit conditio ſua qua fuit citatus, videlicet quia putat ſua non intereſſe, ideo non debet reputari contumax.*Iac.in l.ad peremptorium.col.vlt. de iud. ff.*nec condemnatur in expenſis, niſi iudex comminationem expenſarum in citatione appoſuerit. *cap.fi. de maio. & obed.* quod



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non ſolet fieri. Item comparens citatus ſub illa clauſula non poteſt petere ſe relaxari, ſeu, vt practicè loquar, congedium, ita fuit prolatum arreſtū, *vt patet per Aufre. in ſtylo parlamenti, in 4 parte, arreſto. 63. ſequitur* Boërius *in repet. l. conſentaneum, in 5. oppoſi. & in addit. C. quomodo & quando iudex*, quia non cenſetur citatus, niſi conditionaliter. *ita in q. per arreſta q. 109. arreſto 4. per Ioan. Gallum* quippe non tenebatur comparere, ſi noluiſſet. *De Rota deciſi. 419. ſi impetretur. circa finem, in nouis.*

*Arreſtum*

*Clericus quando poſſit corā iudico ſeculari citari.*

Inſuper licet clericus non poſsit citari compariturus coram iudice ſeculari. *cap. ſi diligenti. & c. ſignificaſti, de foro compet.* etiam ſi conſentiret, *vt ibidem patet*, tamen quando citarentur omnes ſua putantes intereſſe, clericus adſtringeretur ad comparendum, quia potius eſt quædam admonitio, quàm citatio *ſecundùm Bal. Iaſ. & alios, in l. teſtamenta. col. 2. C. de teſta. Anch conſi. 333. an dubia. Bal. in c. fi. de offic. iudic.* infert quòd ſi teſtamentum ſit inſinuandum coram poteſtate loci citatis creditoribus, ſi aliqui ſint clerici, poterunt citari per illam clauſulam, ſi ſua putauerint intereſſe, cùm non ſit citatio præciſa, ſed monitio, quæ non arguit ſuperioritatem monentis, ſed pari poteſt fieri ſecus in alia citatione. *glo. Panor. & Barb. in c. cum cauſa. de offic. deleg. ſequitur Iaco. in l. 1. col. 4. ff. de iud. Maleret. in tractatu de elect. fol. 34. verſicul. ſecundum dictum eſt*, plus dicens quod factum proclama per iudicem ſecularem, quod compareant quorum intereſt talem carceratum non relaxari, comprehendi etiam clericos. Tutius eſt tamen ſecundum eum quod iudex ſecularis requirat eccleſiaſticum, vt moneat clericos ſi velint aliquid opponere, & ſic tranſit cum doctrina Iaſ. *in d. l. teſtamenta.* hæc tamen requiſitio non eſt ſolita fieri, vt ibi dicit Paul. ſe conſuluiſſe. Idem tenet *Sali. in l. conſulta diualia. de teſta. & Fel. in ca. cum inter, col. 7. in 3. limitatione. de excep. & in c. eccleſia ſanctæ Mariæ. de conſt.* & ſic vidi in forenſi iudicio ſeruari. Prætereà tenetur ſic citatus probare ſua intereſſe, ſecus ſi ſimpliciter eſſet citatus. *Bal. in l. fin. q. 5. C. de edict. diui Adria. col. Soc. in l. Libertus. col. 2. ff. de in ius vo. Felin. in c. cum ſuper col. 6. de vt iudic* & incontinenti hoc probare debet. *Panorm. in c. veniens. in 2. no. 4. de teſti.* ſufficit tamen ſemiplena probatio, quia iudicium eſt ſummarium. *Dec. in d. l. fi. num. 45. verſic. circa primam concluſionem.*

Notandum eſt, quòd licet citatio nominatim facta habilitet perſonam citati, ita vt contra ipſum nihil poſtea poſsit inhabilitatis opponi. *Inno. & alij in d. ca. cum inter. de except. Bart. in l. cum mulier. col. 2. ff. ſolut. mat. Ioan. de Ana. in c. intelleximus. col. 8. verſ. nec obſtat. ſi dicatur. de adult. Hipp. in l. qui ignorans. coll. 2. ff. ad l. Cor. de fal.* limita quando citaretur ſub conditione, ſi ſua putauerit intereſſe, quia videtur eſſe defenſio voluntaria, & non neceſſaria. *teſte Roma. in l. de pupillo. §. 1. ff. de noui oper. nuncia.* Ex quo infertur, quòd ſtante conſuetudine generali regni Franciæ, vt conſanguineus poſsit offerre precium pro re vendita extraneo intra annum, vel intra reciſius tempus ſecundum conſuetudines, & elapſo tempore exterus conueniat conſanguineum ſi velit retrahere rem quod offerat precium, ſi poſtea videat tempus elapſum non poterit hoc opponere: quia ex quo reus fuit citatus, cenſetur habilitatus, *hoc pulchrè tradit Cepola, caut. 68. & ſi petens ſe mitt. ſequitur Iaſ. in d. l. de pupillo. §. ſeruo. in fi. quod eſt not.*

*Citatio quando habilitet perſonam citati.*

*Retractus quādo post tempus fieri poſsit.*

Secundò ſi ſtatuto caueatur, quod ciues omnes in prima inſtantia, non extrahantur extra ciuitatem, vt in Montepeſſulano eſt, & ego conuenio quendam tanquam ciuem, non poſſum poſtea opponere, quod non ſit ciuis, quia habilitatus cēſetur. Ideo ſecūdum eum ſis cautus in practica, quòd nunquam facias aliquem citare ſimpliciter, ſed conditionaliter, ſi ſua putauerit intereſſe, vel ſi habeat ius comparendi, contradicendi, opponendi, vel aliud ſimile, tunc non cenſetur habilitatus, quod eſt notandum *ſecundùm Paul. & alios. in l. libertus, in 1. ff. de in ius voc. idem tenet Cep. caute. 203. ſi facias aliquem, &c.*

Tertiò licet excōmunicatus reus poſsit eſſe in iudicio, quando ſpecialiter citatur. *c. intelleximus, de iudi. d. cap. cum inter*, ſecus ſi ſit citatus cum illa clauſula, ſi ſua putaberit.

*Excōmunicatus reus nō poteſt eſſe in iudicio.*

ferit intereſſe, cum voluntarius ſit defenſor *Felin. & Dec. in d. c. cum inter.* vbi limitant. *vide Alex. in l. 3. §. fi. ff. de no. oper. nunc.* in curiis ſecularibus Franciæ illum vix (& male) depellerent. [Etiam in aliis caſibus *per ea quæ ſcribit Ioa. Fab. in §. fi. de cura. in inſt. de quo alibi dixi. & Ant. Capyti. in deciſ. Neapol. q. 8. in cauſa reuerendi.*]

Quartò ſi fecero citare teſtem, non potero poſtea illum reprobare, quia citatio eum habilitare videtur. *Bald. & Imol. in l. ad teſtium. §. conditionem ff. de teſtamen. Sequitur Hippol. in rub. de fideiuſſor. in 2. quæſtio. num. 69.*

*Producens inſtrumentū approbat notarium.*

Vltimò ſi producam inſtrumentum videor etiam approbare perſonam illius notarij, qui conſcripſit eſſe habilem. *Iaſ. in l. 1. §. editiones. in 3. col. ff. de edendo, vbi plura ſimilia adducit, tu illum videto. & Boër. q. 252. in deciſ. Burdegal.*

Et non ſolùm perſonam ſed etiam videor confiteri omnia contenta in d. inſtrumento eſſe vera, tam expreſſa, quam præſumpta. *tex. in l. iuriſgentium. §. quod fere. ff. de pact.* & connexa & copulata. *l. cum de lanionis. §. 1. ff. de fundo inſtruct. Bal. expreſſim in c. præſentium col. 1. de teſtib.* Si tamen quis citaretur, ſi ſua putauerit intereſſe, non videretur illa approbare per ſupradicta. Limita quando faciens citare ignoraret cauſam, quamobrē citatus poſſet repelli, quia tunc etiam perſonam ſuam poterit impugnare, non obſtante citatione, *arg. c. paſtoralis. de excep. & c. nulli. de elect. in 6.* & talis ignorantia iuramento probabitur. *c. vt circa. de elect. ib. 6. Fel. in cap. ſuper his. col. 8. in fi. 2. concluſ. de accuſ. Sequitur Hippol. in l. ſi quis. n. 46. de quæſt.* quod intellige, quando vitium erat per partem remiſsibile *gl. in §. & licet. in verb. & ſupplicius. in auth. de teſtib. coll. 7.* Vel intellige niſi veniret pro intereſſe publico. *Fel. & alij in d. c. cum inter. & d. c. ſuper his.*

*Praxis in beneficialibus.*

In cauſa tamen beneficiali notandum eſt, quòd ſi intereſſe prætendens probationes in illa cauſa factas videat poſſe ſibi prodeſſe, bonum eſt vt veniat ad illā cauſam pro ſuo intereſſe, & hoc ſi ſit comprehenſus in commiſsione, vel ſi ſit iudex ordinarius, tunc impetret literas à cancellaria, ſi de poſſeſſorio tractatur coram iudicibus ſecularibus, hoc in regno, prout eſt conſuetum. *Guido. q. 1. in deciſ. Delphi.* In quibus petat ſe admitti pro ſuo intereſſe, & proceſſui adiungi. Ita ſeruatur in hoc regno. *vide in forma. aduo. curiæ Rom. lib. 1. ca. 16.*

Per edictum *a* publicum (quum ad partes illas tutus nō pateret acceſſus) in certis Eccleſiis tunc expreſſis affigendum moneri & citari, intra certum

*Citatio per edictum quando poſsit fieri, & per quos, & cōtra quos.*

a *Edictum.*) Citatio per edictū quando poſsit fieri probatur in *cle. 1. de iud.* videlicet quando non patet tutus acceſſus, vt hic dicitur, cum ad partes illas tutus non pateret acceſſus, &c. & quando citandus impedit per ſe, vel per alios, quod citatio ad eum non perueniat. *d. clem. 1. & glo. in c. 1. §. facta. in verbo vocetur. de elect. in Pract. & extr. vna. de dolo & contu. in communibus,* & antequam fiat hæc citatio, debet examinatio fieri, an locus ſit citationi faciendæ per edictum, & an qualitates. d. clemen. *1. de iudi.* interueniant. *argu. l. de ætate. ff. ad Trebel. Bart. in extrauag. ad reprimendum. in verb. per edictum.* & in hac examinatione non requiritur citatio partis. *Soc. in tract. de citatio. q. 5.* licet hodie ex conſuetudine non fiat hæc examinatio, ſed nuncij referunt citaſſe in valuis, quia locus non erat tutus, vt in conſeruatoribus apoſtolicis vidi ſeruari. *de quo abundè ſcripſi in tract. de circa. in ord. reg. in 3. com. commen.*

Tamē fuit annullata citatio facta in domo cantoris Pictauis in cauſa nouitatis, vbi in perſona famulorum citabatur cantor, qui erat conſiliarius in curia ſuprema Pariſienſ. Et hoc notorium erat. Sic fuit pronunciatum pro D. Iacobo Meſnager. regis conſiliario, anno. 1518. die 21. Aprilis. quamvis Boer. *in deciſio. Burdegal. q. 11. quemadmodum* dicat valere citationem in loco originis, licet citatus officium alibi habeat, vt de 1. præſide Pariſienſ. ibi ſpeciem tradit. Fit etiam aliquando hæc citatio per edictum contra ſubditum, vel exterum commorantem in patria non ſubdita regi

citanti tunc voce tubæ, die fori, ſeu (vt dicunt) mercatus, citabitur talis in ciuitate ſubdita proxima illi ciuitati, In qua reſidet citandus, & poſtea affigitur citatio cum expletis portæ ciuitatis, per quam itur ad citandum, vt ad eius notitiam peruenire poſsit, & vocatur hæc citatio per authorizationem, *de qua Ioan. Botelier in ſua ſumma Rurali. fol. mihi. 4.*

*Citatio per authorizationem de extero quo modo & quando fieri poſsit.*

Et Caſſado. *dec. 6. de dolo.* Et iſta non fit, nec concedi debet, niſi diligenti inquiſitione facta de inueniendo partem, vel eius domicilium, vt fuit in ſenatu pronunciatum, Anno 1534. die 2. Iunij. Item citatio per edictum poteſt fieri per Papá, & principes, & etiam per iudices ordinarios, & delegatos à Papa, vel principe, ſed pedaneus iudex vel alius infimus non poteſt citare per edictum. *Bart. in d. verbo per edictum, & in l. ſancimus. C. de iudic. refert d. Boërius in repet. l. conſentaneum. in 3. oppoſit. fol. 10. C. quomodo & quando iudex,* & iſtud in practica ſeruatur teſte patruo Iacob. Rebuffo. *in l. locorum. C. de omni agro deſer. lib. 11.* vbi dicit magnos tantum magiſtratus hac citatione vti. Sed per edictum quis citari poſsit. reſpon. omnis cuiuſcunq; ſtatus, conditionisve ſit. *d. cle. 1.* & Soc. *in d. tract. de citat. artic. 23.* vbi tradit quot modis accipiatur edictum, *& multa ibi de eo videre eſt, & per gl. in d. §. facta in verbo, vocetur, de elect, in prag.* Et quamvis olim in albo affigeretur, tamen hodie debet affigi in valuis eccleſiæ cathedralis, aut eccleſiæ maioris ciuitatis illius loci, vbi degit citandus vt hic, aut in valuis palatij ſeu ſcholarum, ſi ſcholaſticus ſit citandus, vel in aliis locis vbi veriſimile ſit quod perueniet ad notitiam citandi *tex. in l. iubemus. ibi, in frequentioribus ciuitatum locis proponendi. C. de defen. ciuit. Soc. vbi ſupra. q. 9. Bart. in d. extrauag. in ver. publice. Bald. in c. dilecti. in fin. de excep.* Effectus huius citationis eſt, vt ſic citatus debeat comparere, alias contumax reputabitur. *d. cle. 1. Hippol. in repet. l. de vno. num. 192. ff. de re iud. Fel. in c. quoniam §. porro, vt lite non conteſt.* alia quæ in forenſi iudicio in Francia ſeruantur ſcripſi *in d. tract. de cita.*

*Areſtum.*

*Vbi affigi debeat citatio.*

competentem terminum *a* præfigendum, ad comparendum coram eo in concilio præfato, cauſasque *b* dicendum quare ſanctio præfata in concernentibus authoritatem, dignitatem & vnitatem eccleſiæ Romanæ & apoſtolicæ ſedis, ſacrorumque canonum, & eccleſiaſticæ libertatis violationem nulla & inualida declarari, decerni, & abrogari non deberet. Et quum ſuper his in forma iuris *c* in præfato concil. Lateranenſ. procederetur, dictusque

a *Terminum.)* Et ſic patet hic, quod in citatione requiritur terminus certus per tex. *in l. aut qui aliter. §. 1. ff quod vi aut clam. & ibi Bart. l. per internallum. de iudic. l. ita ſtipulatus, & ibi doct. de verb. oblig. l. 2. in verb. certo dierum ſpacio. C. vbi in rem act. & in l. conſentaneum, ibi, certis temporibus, vbi Boërius. C. quomodo & quando iudex, & q. 235. adiornamentum, per dec. Burde. l. ſi. ibi, certum tempus. de iure. domi. impe. Soc. in repe. rub. de dilat. artic. 20. q. 10.* Et hanc ſententiam approbat conſuetudo generalis curiarum regni Franciæ tam eccleſiarum, quam ſecularium, & vidi ſic in forenſi iudicio ſeruari. quamvis contrarium teneat Spec. *in titu. de citatio. §. ſequitur. verſ. quid ſi non præfixeris, & c. per tex. in c. cum parari. de app. & c. cum dilecti. de dolo. Fel. in c. conſuluit. de offic. deleg.* ſed Pau. Alex. & Iaſ. conciliant opiniones *in l. liber homo. §. 1. ff. de verb. obli.* tene tamen primam. Et ibi terminus eſt arbitrarius, & debet concedi ſecundum ſtylum & conſuetudinem curiarum in quibus citationes conceduntur, conſiderata loci diſtantia, *d. cle. 1. & gl. & ibi Aluaro. in c. 1. col. 3. de mili. vaſſal. Roma. conſ. 497. diligenter Berber. in viatorio iur. rub. de iudi. in 4. parte. ver. quæro reſpectiue. Bal. in authen. & qui iurat. C. de bonis aucto. iud. poſsid.*

*In citatione requiritur terminus.*

Fallit in literis emanatis à principe, vel à ſua cancellaria in cauſa appellationis in quibus dicitur, cites vel adiournes ad diē

*In literis cancellariæ ...*

certam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*minus apponatur.* certam & competentem, & ſeruiens poſtea præſtituit terminum, ne ſub incerto vagetur. *Boic. in c. cum parati. in fi. de appel. & hoc in practica ſeruatur.*

Secundò etiam ſi citatus ſine termino non compareat, quam cito commodè poterit, de contemptu puniri poterit. *doct. d. c. cum parati. vbi ſic intelligunt illum text.* ſed in practica reſpueretur, nec ſic citatus non comparens mulctaretur, nec contra eum per hanc citationem procederetur.

Tertiò valebit citatio iuris etiam ſine termino. *c. quamuis. circa medium. de off. ord. in 6. c. cupientes. §. de elect. ibidem.* in citatione etiam generali, idem tenet Iaſ. *in l. liber homo. §. decem. in fi. ff. de verb. oblig. alleg. Ange. in l. 1. §. hæc ſtipulatio, ſi cui plusquam per leg. fal.* Et idem in requiſitione extra iudiciali tradit gl. *in cle. 1 in verb. requiſierint. de hæret.* Boerius. *in d. repet. l. conſentaneum. q. 1.* Fel. *& alii in c. 2. de teſtib. cogen.*

*In citatione requiritur cauſa.* b *Cauſas.*) In citatione requiritur cauſæ expreſſio, *vt hic. & l. 2. §. legatis. & ibi* Iacobi. *ff. de iudic. l. 2. ſi quis in ius voc. non ierit. gl. in c. ſi epiſcopus. 3. q. 2. & in ca. cum contumacia. de hæret. in 6. vbi Peru. & Spec. in tit de citat. §. 1 verſ. item quid in ea. vbi Io. And. in addit. ad hoc multos text. allegat. & huius ſententiæ eſt. Bald. & Boer. in d. l. conſentaneum. C. quomodo & quando iudex. Soc. conſil. 10. inſignis. in 4. vol. cum conſi. ſequent. Auffr. in ſtylo. parlamen. in 1. parte rub. de adiorn. hære. mor. §. 1.* ratio eſt, vt paratus reus veniat reſponſurus. *c. ſi. 5. q. 1.* & vt citatus inſtrui plenè poſſit, ſuper quibus conuenitur, *clem. vlt. vt lite penden.* ad hæc ſi citatio non habeat cauſam, cenſetur nuda & indiſcreta. ideo non valet, quia debet eſſe certa. *l. 2. §. circa. ff. de doli. except. Bal. in pract. ſua. rub. de cit. q. 2.* ideo Lud. 12. ordinauit, [*vt patet in rubr. quelles laiz ne ſeront conuenus par deuant les iuges d' Egliſe.* art. 5.] quod de cætero iudices eccleſiaſtici non citent laicos, niſi cauſam exprimant in citatione, vt citatus poſſit perpendere, an cognitio illius cauſæ ad iudices eccleſiaſticos pertineat, nécne. *Ibi dixi plenius, his nunc contentus ero.*

c *In forma iuris,*) Ergo concilium, ſiue ſit generale, ſiue ſynodale, debet procedere in forma iuris, *vt probatur in cap. 1. de iud. vbi doct. plenè de hoc alibi dicam.* *In 3. tom. comment. in conſt.*

Iulius prædeceſſor, ſicut domino placuit, rebus fuiſſet humanis exemptus, nosque diuina fauente clementia ad ſummi apoſtolatus apicem aſſumpti fuiſſemus, & cōtra prælatos, capitula, conuentus, & perſonas huiuſmodi ad nonnullos actus proceſſiſſemus, tandem conſiderantes pacem eſſe vinculum charitatis, & ſpiritualē virtutem qua ſaluamur, dicente domino, qui biberit aquam, quam ego dabo ei bibere, non ſitiet in æternum, & quod in pace conſiſtat ſalus vniuerſorum, Caſſiodoro teſtante, omni quippe regno deſiderabilis debet eſſe tranquillitas in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium cuſtoditur. Matura deliberatione cognouimus, non per nuncios aut legatos noſtros, ſed in præſtatione obedientiæ *a* filialis, quam chariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus, Francorum rex Chriſtianiſ. perſonaliter nobis præſtitit hæc cum maieſtate ſua coram diſcutere, eumque paternis *b* hortati monitis, vt ad laudem Dei & ſui honorem prompto animo libens ac volens dictæ pragmaticæ ſanctioni abrenunciaret, & ſecundùm leges ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quemadmodū cæteri Chriſtiani viuere, ac mādatis apoſtolicis quæ à ſede Apoſtolica ꝑ tēpore emanarent parere ac *c* obedire vellet.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

a *Obedientiæ.*) Rex eſt obediens ſanctæ ſedi, & ſemper fuit. conſiderans id quod dicitur *1.Reg.15.c.* Melior eſt obedientia quam victimæ. *cap.ſciendum.8.q.1.Aug. in lib. 14. de ciuit.* Dei. Obedientia eſt *(inquit)* mater quodammodo, cuſtoſque omnium virtutum: ideo pontifici conuenit id quod dixit quondam Pharao Ioſeph, Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Et *alibi* dicitur, Obedite præpoſitis veſtris, etiam dyſcolis. Obedientiam autem inferiores ex ordine ſuperioribus debent: ſummo enim pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, vt nulli liceat ei communicare, cui per actibus ſuis inimicus ipſe extiterit, nec in eccleſia eſſe poterit, qui cathedram eius deſerit. *Vide Alua. in tracta. de planctu Eccleſiæ. lib. 1. in fin. fol. 79. & ſeq. & fol. 22.* & peccatum quippe paganitatis incurrit quiſquis (dum ſe Chriſtianum eſſe aſſerit) ſedi apoſtolicæ obedire contẽnit. *cap. ſi qui presbyteri. 81. diſt.* & *Eccleſ. 3. ca.* dicitur, filii ſapientes eccleſia iuſtorum, & natio illorum obedientia & dilectio: & hæc obedientia debet eſſe humilis, deuota, feſtina, iucunda & perſeuerans, quæ proſequitur Alua. *in d. tract. de planctu eccle. lib. 2. art. 68.* & tredecim affectus obedientię cumulat Flor. *in 4. parte ſummæ. titul. 5. capit. 11. & in §. vlt. in ſum. 93. diſtin.* dicit Præpoſit. quod in his in quibus eſt obediendum, ſummo pontifici prius & magis eſt obediendum ei, quam cuiuis alteri humanæ poteſtati. *Bald. in cap. paſtoralis. §. fin. colum. 1. de off. deleg. argum. l. contra. §. fin. de re iudic.* quia eſt omnibus ſuperior. licet multi potius obediant poteſtatibus ſecularibus, quàm ſibi, imò potius quàm Deo, quod eſt illis periculoſum, & hæc obedientia eſt actus intellectus, & voluntas humiliter obtemperans ſuperiori ex debito, & conſiſtit in mandatis. Bal. *in l. liberti. colum. 2. C. de oper. lib.* vbi dicit obedientiam debere eſſe cum reuerentia, quæ frenat animos & vitia compeſcit, imò ex lege veteri. *Deut. 17 cap.* qui non obediebat imperio ſacerdotis. qui eo tempore miniſtrabat domino Deo ſuo, ex decreto iudicis mori debebat, & extra caſtra poſitus lapidabatur à populo. *c. abſit. 11. q. 3.*

*Multa de obedientia hic vide.*

b *Paternis.*) Papa, qui eſt pater omnium, debet paternè monere, & tractare ſuos filios, vt hic facit, quia tales erga ſubiectos noſtros debemus exiſtere, quales nos ſi ſubiecti fuiſſemus, noſtros volemus eſſe præpoſitos Sunt verba Greg. *tradita in cap. quorumdam. 74. diſtin.* Et iudices debent ſe habere circa ſubiectos, ſicut patres erga filios. *§. eos in auth. vt iudices ſine quoq. ſuffrag. col. 2.* vnde dicitur, In iudicando eſto populis miſericors, ſicut pater. *Eccl. 4. c.* Decurio conſul vel Scabinus, etiam pater ciuitatis nuncupatur. *l. vna. C. de ratiocin. oper. publ. & de patrib. ciuit. & ibi gl. & l. qui conditioni. C. de his qui ſponte publica munera ſube. lib. 10.* vbi dicit Lucas eos dici patres, quia debent ſubditos ſibi commiſſos iuſtitiæ iugo ſubdere, & in cæteris virtutum operibus eos erudire, ſicut patres ſpirituales filios ſuos, non ſolum gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificare. *c. in decima. 18. quæſt. 2.* & defenſores ciuitatum debent patris vicem exhibere plebi. *l. 4. C. de defenſ. ciuit.* Sic & comites, barones & alii domini ruſticos & vaſallos eorum debent ad fidem ſeu Dei cultum & ſalutem animarum ſuarum adducere, vt Deo per obſeruationem iuſtitiæ à peccato liberi præſententur, alias de ipſorum animabus reddere rationem tenentur, *teſte Luca, vbi ſuprà,* vnde Grego. *in regiſtro, lib. 3. c. 23.* de his loquens, ſic ait: Quas rationes omnipotenti Deo de ſubiectis veſtris reddituri eſtis aſpicite. Ad hoc quippe illi vobis commiſſi ſunt, quatenus & ipſi veſtræ vtilitati valeant ad terrena ſeruire, & vos per veſtram prouidentiam eorum animabus, quæ ſunt æternæ, proſpicere: ſic & princeps dicitur communis pater omnib. hominibus, *in auth. neq. virum quod ex dote, in ſi. colla. 8.* maximè illis qui ſibi nequeunt auxiliari. *in authen. vt hi qui obl. in ſi. colla. 6.* eccleſia verò eſt communis mater, *c. pen. de conſecr. diſtin. 1. iuncta gloſſ.*

*Principes & iudices erga ſubditos qualiter habere ſe debeant.*

*Superiores ad fidem & Dei cultum ſubditos allicere debent.*

c *Parère.*) Non immerito, quia parère quilibet Chriſtianus tenetur etiam ſuis epiſcopis, vt habetur in c. ſacerdotes, & reliqui ſacrę eccleſię miniſtri, omneſq; plebes

*Parère papæ & ſuis epiſc. ſubditi debent.*

epiſcopos

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Extra eccleſiam quis ſaluus eſſe nõ poteſt.*

epiſcopos ſuos diligere debent, & eorum præceptis obedire, etiamſi ipſi aliter (quod abſit) quã debent, agant, niſi in fide errauerint. *2.q.7.& c.nonne* 8.q.8. vnde Aug. his verbis vtitur: ſi conculcetur eccleſia, ad cuius confugiemus auxilium? vbi relinquemus gloriã noſtrã? *c.aliorũ 9.q.3.* non recalcitro, quia extra eã gratia Dei, miſericordia Dei non eſt, ſi (quod abſit) iniuſtè iudicat ſuffero, ſi iuſtè veniam peto, ſed non apoſtato, nec à petra recedo, *ca.in memoriã. & c.ita dominus.19.diſ.* ne ab ea collidar, & quo irem? & vbi communicarem? *Io.6.c.in fi & c.audiuimus.24.q.1.* & vbi viuerem? *c.quemadmodũ. 23.q.7.* & vbi ſaluarer? *cap.quicunque. 24.q.1.* extra arcam diluuium eſt. *ca. quoniam. ibid.* extra hortum concluſum diuiſio eſt. *cap. omnibus.ibidem*, ſine tunica inconſutili algeſco frigore. *ca. ſicut. 16 q.7.* membrum ſum putridum, ſi ſeparer à corpore. *d.c.quemadmodum.* extra domum agnum non comedam. *c.quia.24.q.1.* extra domini vineam vinum non bibam. *David Pſal.59. Refert. Aluar. in d.tract. lib. 1. in fi.* Ideo rex Franciæ, verus eccleſiæ filius Papæ monitis parere voluit, vt verus Rex obedientiæ paſſim nuncupari poſſit.

### *De electionis derogatione.*

Et cum ex electionib. *a* quæ in

*Sex tempora in electionibus conſideranda.*

a ET cum ex electionibus.) Notandum eſt, quòd à principio ius eligendi erat, prout eſt apud Deum, qui ſuo filio domino noſtro Ieſu Chriſto facultatem exercẽdi in mundo dedit, quam exercuit, *vt patet* Luc. 6. c. vocauit Ieſus diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & apoſtolos nominauit. *& in ſumma. 21. diſtin.* & aliis in non paucis locis, hanc demum poteſtatem Chriſtus Papæ, tanquam ſuo vicario conceſſit. *c.1.diſt.22.* quam ex humilitate diuus Petrus collegio apoſtolorum & ſeniorum exercere permiſit. *Act. 6. & 15. c. & alibi ſæpius.* Vnde beatus Iacobus in archiepiſ. Ieroſolymitanum à ſanctis Petro, Iacobo & Ioanne electus extitit. *c.porro. 66. diſt.* & poſt Iacobi obitum, Simon Cananeus ex conſenſu omnium apoſtolorum etiam eccleſiæ Ieroſolymitanæ præfectus fuit. At mortuo Iuda (qui epiſcopus erat, *vt in Pſal. 108. ſcribitur*, Epiſcopatum eius accipiat alter) apoſtoli, cum duos idoneos haberent, dubitarentq́; vtrum in locũ Iudæ proditoris ſufficerent, tunc ſors cecidit ſuper Matthiam, *Act.1.*

*Quandò à clero & populo electio facta fuit.*

Secundum tempus ſubſequens fuit, in quo gens efferata cœpit excreſcere, & clericis nolle obedire, & per conſequens neminem velle recipere, niſi ab ipſis approbatus fuiſſet, quod longo tolerarunt tempore ſummi pontifices, vt fides Chriſtiana augeretur, & per populum tueretur. Ideo aliquoties per clerũ & populũ electio celebrata, & per vniuerſã turbã extitit, ſaltẽ de conſenſu populi electio à clero fiebat. *c. plebs. & c.ſeq. 63.diſt.* vnde Nicolaus Papa epiſcopos non eſſe conſecrandos, niſi poſt electionẽ vel conſenſum cleri & populi. *ca. epiſcopos.63.diſt. ibi, cleri plebiſq́ cõſenſus requiratur*, ne plebs inuita epiſcopum nõ optatum contemnat, aut odiat. *c.fin. ibidem ca. in nomine.23.diſt.* quandoquidem ipſorum intereſt habere bonum epiſcopum, ſub quo non patiantur famem, nec ſitim. *Anch. in c. 1. in fi. de parroch.* Sed quia vulgus aliquando ad acclamationem ignaros, ſed populares nulla ratione habita probitatis eligebat, *argum. glo. in l. decurionum. C. de pœn.* Ideo hac vſurpatione fuit priuata, & prohibita, ne deinceps electioni intereſſet, *vt ſequitur.*

*Ad reges & principes quando electio pertinuit, & cur fuit reprobata.*

Tertium tempus ſucceſſit, in quo reges & principes eccleſiæ grati fuerunt, & erga illam benemeriti. Ideo Papa Carolo regi Francorum & imperatori facultatem eligendi, ſummum pontificem permiſit, ac omnes archiepiſcopos, & epiſcopos per ſuas prouincias ab eodẽ inueſtituram accipere diffiniuit. *c. Adrianus. & ſeq.63.diſt. ca. hinc eſt etiam 16. q. 1.* Et idem priuilegium fuit conceſſum regi Hiſpaniæ. *cap. cum longè.63.diſtin.* repræſentabantur ergo electiones clericorum principibus, vt illorum autoritate roboratæ, nullus hæreticorũ vel ſchiſmaticorũ auderet contraire, vt ipſi princeps tanquam deuotiſſimi filii in eum conſentirent, quem ſibi in

patrem